

ficit humor ad colorem vrinae mutandū, exigua praeterea requiritur vis naturae ad generationem illius humoris: ad crassitiam vero vrinae plus requiritur humoris. Propterea vrina quae habet crassitudinem, ostendit humorem pati facile, & naturam validam esse, vt quae potens sit materiam eam vincere & expurgare. Contenta vero quae nubeculam, sublimamentum & sedimentum faciunt, (de his enim intelligimus quum maximam vim contentis damus) non possunt gigni & expelli, nisi constanter naturae robore; praesertim quum perseverant & in melius procedunt. Quare merito primas obtinent in significanda salute, & breuitate ipsius morbi. Verum vt haec quae diximus maiorem habeant vim in pluribus ad salutem aut mortem significandam quum adsunt aut absunt, tamen ex alijs possumus melius eadem praedicere. Etenim putredinem, vlcera, & abscessus, qui per vrinam solent vacuari, foetidus odor vrinae euidentius prodit quam color, consistentia & contenta. Praeterea in febribus si vrina supprimitur aut opata est, certiora erunt indicia mortis quam si vrina sit tenuis, decolorata, sine coactis, haec enim solam cruditatem ostendunt, quae tempore emendari potest: illa vero causas habet deteriores, nullum. n. seruatum vidi cui esset suppressa vrina in continuis febribus absque solito vitio renum aut vesicae. Fiunt enim tales suppressiones ex maximis obstructionibus hepatis & renum repente factis, vt Anatomia docet, quae obstructiones eo tempore omnia remedia contemnunt. Opacitas vero, vt ostendimus, proprias habet causas, quum internae causa sunt. Sic colores vrinae certiora praebent indicia humoris peccantis in corpore quam alia. Habent ergo singula alijs maiorem vim ad quaedam significanda. Ad robur vero virtutis ostendendum vnde salutem praedicimus, contenta maximam obtinent dignitatem: quoniam cum virtutis alteratricis debilitate nequit vinci materia & domari pituita, & ea excerni misceque cum vrina.

Que consideranda vt recte iudicemus de vrinis. Cap. XXI.



Sex qualitatibus, substantia, quantitate, & contentis in vrina iudicia sumi debent, data opera est vt ista omnia maximè talia appareant qualia fiunt in corpore. Propterea omnia recte sunt consideranda quae nostrum iudicium corrumpere possunt. Quare iubet Galenus vrinas omnes, quas reddunt aegri, separatim esse colligendas. Sic enim intelligitur quantum illi mingant: ex quo dignoscitur si quid natura excernat ultra portionem. Verum etsi vrina tota quae mingitur inspicienda est, non tamen singulae vrinae eas possunt habere qualitates, uel substantiam, & contenta quae morbosas dispositiones declarent. Nam quae ingesto recenter cibo aut inuadente accessione febris minguntur, nec colorem nec crassitiam nec contenta habere possunt; quoniam tunc non est facta generatio excrementorum quae illa pariunt. Vt autem remouenda sunt corporis affectiones quae non ostendunt eos humores qui cum vrina misceri solent: ita videndam ne quae in vrina sunt, ab externis causis sint facta. Nam absumpto liquore cassia, nigra & fuliginosa & crassa redduntur vrinae; & absumpto rhabarbaro, flaua & crassa; deuorata vero terebinthi resina, odorata. Haec ergo sunt remouenda quae vrinas inficiunt, nec tales emitti permittunt, quales efficit interna corporis dispositio. Vult quoque Auicenna non esse inspiciendam vrinam ex qua iudicium ferre volumus, post sex horas a quibus reddita est: quia corrupta iam talis est quodammodo: nec statim post mixtionem inspicienda, vt separatio fieri possit contentorum a liquore: neque ventis exponenda: nec soli aut aeri nimis frigidus: haec. n. nativas vrinae qualitates corrumpunt. Inspicienda autem est in umbra, nam solis & lucernae lumen fallunt. Colligenda vero & in vitro claro, aut crystallo tenui, nullo colore extraneo infecto, quod pyramidalem habeat figuram, vt locus detur commodus figurae sedimenti, nec transfundenda est ex vno vase in aliud: & debet esse debita substantia inter oculum medici conspicientis & vas vrinarium. Manum praeterea admoueat medicus in opposita parte vas ut radij colligantur tanquam in speculo, haec & similia consideranda sunt. Quoniam vero nonnulli specie aliarum rerum quae similitudinem habent cum urinis medicos decipere student, ideo tradenda de hac re nonnullae praecipiones: In vrina semper aliquid sursum deorsumque ferri more a tomorum, quod in alijs rebus non fit tum, Vrinae quanto maiore distantia admouentur oculis, tanto tenuiores apparent, alia vero, quae similitudinem habent cum urina, tanto crassiora apparent quanto magis distant: uino excepto, quod & propinquum & remotum semper sui tenuitate ostendit. Ad haec odor vrinae proprius non sinit falli medicum. Verum difficilius est urinas hominum ab urinis aliorum animalium distinguere, quamquam Auicenna conetur in quibusdam id docere. Nam vrinam asini dicit esse sicut butyrum liquidum cum turbiditate & crassitie exteriori: equorum vero urinas dicit esse urinis asinorum similes, sed esse clariores; ita ut superior medieta sit clara, inferior turbida. Ouium vero urinae sunt albae ad citrinitatem tendentes, similes urinis hominum, sed substantiam non habent (eo nomine forte intelligens consistentiam) & earum sedimentum est sicut oleum aut amurca, vrina capreoli urinis hominum & ouium similis est, sed clarior urinis ouium, nec habet substantiam nec sedimentum. Haec nunc de urinis sufficiant: quae forte aliquando in maiore otio meliora & illustriora reddemus.

F I N I S.



Quae nunc de urinis sufficiant: quae forte aliquando in maiore otio meliora & illustriora reddemus.